



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Thecla V. & M. 23. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

hanc jam tunc ad PROIECTVM populus, nisi altius ambitio præripuisset. Huic ipsi tamen optatam prædam mors intra xxv. dies eripuit, ut alter sibi delatam, cum fatalem esse capiti non merenti videret, ultrò ad PROIECTVM remitteret. Tunc demum infula locum se dignum credidit nactam esse, quando non tam ipsa liliam, quam liliam ipsam coronavit. *Ex Ferrar.*

Si pro temporali curâ agri medicis obediunt, servam arduam parcitatem; quare pro sempiternâ salute sit durum Christo moderatis obedire jejuniis, corpus gubernare mensurâ, mentem regere parcitate, sensum sobrietate frenare? S. Pet. Chryl. serm. 41.

S. THECLA V. & M. 23. Septembris.

PRinceps earum virginum THECLA memoratur, quæ candidum animi pudorem martyrii purpurâ exornarunt. Hæc à Magno Paulo fidem Iconii edocta, cum ab ejus ore dies noctesque è fenestrâ penderet, facile missio, qui ei è primâ nobilitate fuit, sponso, Christo amores suos addixit. Quam ipsam ob causam cum castitatis magister Paulus in vincula esset datus, gemmis omnique mundo muliebri distractis, aditum sibi ad eum mercata est, eas demum gemmas æstimans, quas è Pauli ore legeret. Et vide in virgine Herculem. Capta cicuravit, quibus objecta fuit, leones; domuit, quibus alligata fuit, tauros; vicit undarum, quibus immissa est, monstra; triumphavit, quos conscenderat, ignes; & flammæ, quæ nec Herculi pepercerant, virgini pepercere: ut sciant, qui castitatem eunt occisum, omnibus monstris insaniorese esse. Cæterum tot victoriis inclita Seleuciâ venit, ubi cum agris compluribus

salu-

salutiferam manum porrigeret, medici, quibus, quòd nullam jam lucelli spem viderent, oculi scilicet dolebant, in virginem infames adolescentulos armarunt. Hos lenones cum fugeret, quæ nec leones fugerat, jam jam comprehendendæ sinum rupes discedens præbuit, clausæque castitati & asylon & tumulus fuit. Itaque qui pudori periclitanti non consulit, hunc ego etiam rupe diuorem dicam. *Ex D. Basil. & Metaphr.*

Inter omnia certamina Christianorum sola sunt dura prælia castitatis; ubi quotidiana est pugna, & rara victoria: gravem namque sortita est castitas inimicum, cui quotidie resistitur, & semper timetur. S. Aug. l. de Hon. mul.

S. GERARDUS EP. M. 24. Septembris.

GENUÈRE Venetiæ GERARDVM magno suo honori, maj. i Ungariæ bono. Nam per hanc illi dum iter est ad sacras Solymæ terras, hospitem interceptit Rex D. Stephanus, & detentum amicæ vigenti Episcopum dedit. Nihil illi post Christi honorem prius, quàm Matris hujus cultus, quem toto regno magnâ animi sui voluptate, fructu hominum quàm maximo, disseminavit. Pietatis in MARIAM illud argumentum esto, quòd ante ejus aram numquam non binos ministros excubare voluit, qui thuris odore eam honorarent, & fumo tam pio proderent, quibus Virginem castissimè ardebat, ignes sanctissimos. Adhæc nemo unus fuit, qui ab offenso veniam non exorasset, simul interposito Patronæ MARIÆ nomine orasset: ut jam nominis hujus characteres totidem calculos candidos dixisses, quibus omnes apud illum rei absolverentur. Jam ut corpus in virtutis